



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVI. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Edmundus coram icone Deiparæ vovit castitatem; ut Mariam, quam fovebat in corde, semper haberet in oculis, duas has voces: *Ave Maria* annulo inscriptas gestavit. Quotidie præter officium etiam orationem: *O Intemerata &c.* dixit, quâ semel omisâ correctus, moriens millies Mariam nominavit. *Vita.* Hæc est tessera salutis.

S. Edmunde qui vitæ innocentiam tumulo tecum intulisti, ora pro me Deiparam, ut si amor, quo filium ejus Dominum meum diligere obligor, in mandatorum transgressione me non abstrahit, saltem timor amittendæ vitæ æternæ me custodiat, ne in ullam divinæ Majestatis offensam unquam consentiam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: &c. *fol. 19.*

Ad quod impetrandum: orabo eam orationem: *O Intemerata &c.* cujus frequentationem multi pro castitatis suæ scuto habuere.

Beatissima Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic & omnium est Patrona, atque advocata, & cura est illi de omnibus. *Idiota in Prologo Cant. B. V.*

Quæstio: Utrum totum corpus Christi ex solo sanguine Mariæ sit efformatum? v. *Vega Theol. Mar. pal. 24. c. 4.*